



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,  
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

**Nádasi, János**

**Coloniae Ubiorum, 1667**

20 Feb. 10 Kal. Mart.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

*me regno illi, cuius Regina es!*

S. MARIA, *qua* S. Bonifacio Episcopo agro apparuisti, & ad pedes tuos provoluto, rogantique: Domina mea, S. MARIA, sanctifica me! *respondisti:* Et sanctificavi, & iterum sanctificabo te. *Fac, ut idem ita petam, ut merear impetrare!*

20 Feb. 10 Kal. Mart.

S. Eucherii, qui antequam nasceris, jam Episcopus futurus dictus es ab Angelo: qui ad illa Apostoli verba conversus es: *Praeterit figura huius mundi. Sapientia huius mundi, stultitia apud Deum reputabitur:* qui eum, à quo, ob falsos calumniatores, exilio damnatus fueras, Regem Carolum Martellum, ob manus sacris injectas, æternis ignibus ardere vidisti; & apertâ ejusdem tumbâ, draco illuc tantum, & horrenda ignis vestigia reperta sunt; ad tuum verò postea tumultum ægri sanitatem, per plura prodigia, reperere: & ibidem lampas arsit, è quâ tantum olei, divinitus incrementis, redundabat, quantum sufficiebat septem aliis lampadibus, ibidem ardentibus. Heu! quam dispar tua, & illius mors! jam

M 2                      ille

ille beatam æternitatem non sperat,  
in quâ tu es : jam tu infelicem æter-  
nitatem non times , in quâ ille est.  
Ego inter utramque sum medius;  
& adhuc dubius ; illam spero , in  
quâ tu es ; illam timeo , in quâ ille  
est ! Ora , ut ita moriar , ut illam  
habeam , quam spero ; non illam,  
quam timeo. Amen.

Omnes sancti Martyres Tyrii,  
flagra , bestias , ignem , ferrum,  
mortem pro Christo passi.

S. Paula V. quæ ut ab impuro  
quodam securum puritatis tuæ  
thesaurum servares , coram Cruci-  
fixo provoluta , & lacrymans , ac de-  
fendi petens , repentino barbæ , fa-  
ciem tegentis , miraculo (ut alias  
S. Wilgefortis V.) protecta es,  
ac barbata dicta , & miraculis cele-  
brata.

Sancti Tyrannio , Silvane , Pelee ,  
Nile , & Zenobi , illorum exhorta-  
tores , & socii ad gloriam.

Sancti Pothami , & Nemesii,  
MM.

S. Eleutheri Episc. M.

S. Sadoth Episc. qui scalam , ad  
cælum usque porrectam , vidisti,  
& te à S. Simeone magnis vocibus  
furfum invitari audisti ; & postea ,  
una cum centum viginti octo aliis,  
capite

capite plexus, eò, quò invitatus fueras, abiisti.

S. Leo Episc. miraculis clare, cujus authoritate, ac miraculis damnatus est Heliodorus; qui ob ambitionē, dæmonem cervo vectum Christo prætulera, factus apostata atque veneficus, & sæpè lapides, auro falso illitos, pro vero auro dabat, dolo postmodum deprehenso. hunc tu stolâ tuâ vinctum, & collo ligatum tenens, fornacemque, igne de cælo evocato, succensam ingressus, ac undequaque illæsus, pedem ex igne non prius extulisti, quàm illo in cineres jam redacto.

S. Eleutheri Episc. ab hæreticis multa fortiter peresse.

B. Ulrice, è parum probi exempli Sacerdote, Eremita, cilicio, loricâ, jejuniis, miraculis, inclyte: qui ægram Virginem, per quietem illi visus, sanâsti; Regem autem de occulto quodam peccato monuisti. Ora pro me; ne quid lateat in me, quod displiceat Deo meo.

OMNES SANCTI, &c.

pag. 44.

S. MARIA, de quâ tuus cliens, hodie moriens, tenerrimâ plenus lætitiâ, cuidam dixit: O si nôsles, quantum in morte afferat solatium, Dei-

M 3 param

param singulari studio coluisse.  
*Da, ut sic te colam, ut mors mea sit  
 Deo, ac tibi, gloria; mihi solatio, aliis  
 exemplo!*

21 Feb. 9 Kal. Mart.

**S** Mauriti, & focii milites glorio-  
 si, uncos, equuleum, flagra,  
 flammam, tela, pro Christo, perpeffi.  
 Tu Photinum filium, coram te,  
 propè paludem, ad palum alliga-  
 tum, vespis, muscis, & sagittis me-  
 tam factum, vidisti; & ipse, cum  
 fociis, melle perunctus, palo al-  
 ligatus, à vespis tandem ad mortem  
 usque confossus es. O quot habe-  
 bo, in supremo agonis certamine,  
 defensores, si tu mihi, cum filio  
 tuo, & sanctis copiis tuis, adfueris  
 morienti! Ora, ut adsit mihi Im-  
 perator noster JESUS; & me, in ulti-  
 mâ illâ pugnâ, victorem faciat, &  
 inter victores censeat in æternitate.  
 Amen.

S. Pipine, Dux Brabantiaë, juris  
 peritissime, observantissime, SS.  
 Arnulpho, & Cuniberto consilia-  
 riis use; in cujus exequiis, per  
 magnum omninò terræ spatium,  
 in vento cereus nullus extinctus  
 est.

S. Gon-